



Georgius apud Sueuos in oppido Rüedlingē anno circiter 1530 natus & educatus est. Is cū artium & linguarum fundamenta iecisset, sese ad academiam Friburgensem contulit, & professores literarum magna diligentia audiuit. Itaq; factum ut sibi præclaram eruditionem compararit, & doctis uiris annumeratus fuerit. Id cum Marquardus reuerendiss. presul Spirensis intellectisset, eum liberali stipendio proposito ad se in oppidum Vdenheim uocauit, & eius loci Parochum constituit, ætatis anno circiter 30. Eam functionem cum Georgius suscepisset magna diligentia peregit, atq; nullo persona rum respectu habito, homines officij sui admonuit. Sacris quoq; literis diligenter incubuit, & antiquorum patrum lectionem Biblijs coiunxit. quod si etiam ita perrexerit, procul dubio aliquando omnibus in Germania sua doctrina innotescet. Cum etiam anno 1565 in oppidum Vdenheim uenisse, is me familiariter conuenit, atq; meo instituto cognito, nō uulgaria mecum contulit, ex qua collatione ipsius sinceritatem & eruditionem facile deprehendere potui. Anon.